Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



iij.

Videte ficulneam et omnes arbores cum producunt iam ex se fructum scitis quia prope est estas; ita et vos cum videritis hec fieri scitote quia prope est regnum dei. Amen dico vobis: quia non preibit generatio hec donec omnia fiant. Celum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt. offertorium eius tu conteres vivificabis nos et plebs tua letabitur in te. Ostende nobis domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis. secreta.

Placare quesumus domine humilitatis nostre precibus et hostiis, et ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre presidiis. per. co. Hierusalem surge et sta in excelso et vide iocunditatem que veniet tibi a deo tuo. post co. Refecti vivificatis alimoniis supplices te domine oramus; ut huius participatione mysterii doceas nos terrena despicere et amare celestia. per. dnica iij.

Gaudete in domino semper iterum dico gaudete modestia vestra nota sit omnibus hominibus dominus prope est nihil solliciti sitis sed in omni oratione petitiones vestre innotescant apud deum. ps. Benedixisti domine terram tuam avertisti captivitatem iacob. oro.

Aures tuam quesumus domine precibus nostris accommoda; et mentis nostre tenebras gratia tue visitationis illustra. Qui cum. al corinthios.

Fratres. Sic nos existimet homo: ut ministros xpi et dispensatores misteriorum dei. Hic iam quitur inter dispensatores: ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est ut a vobis iudicer aut ab humano die; sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudi